



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. Puellarum levitas & illecebræ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Cupiditate impeditam, curriculo vicisset, uxorem nactus est, gratulantibus omnibus, Atalantem. Quia verò officia conjugalia, contra Deorum & pudoris reverentiam expleverunt, in leones conversi, pœnas effrenatæ libidinis dederunt.

Ethica.

I. (a) Velocitas Atalantæ inconstantiam affectuum & cogitationum in puellis nubilibus representat; quæ quò plures inveniunt procantes, eò minùs uni alicui se addicunt, sed discurrentes in diversas partes animo, insigni levitate, nunc hunc, nunc illum, mox nullum inter omnes, sibi deligunt, rapique ac cursu vinci, id est, multis laboribus ac periculis expugnari cupiunt. Hinc imperiosa in amatorum imperia; hinc rivalium inter se digladiationes funestæ. Proverbiorum 7. describitur harum juvenularum procacitas, dum dicuntur *preparate ad capiendas animas: garrule & vage: quietis impatientes, nec valentes in domo consistere pedibus suis.* Mille scilicet excogitant artes & fucos, quibus incautos illiciant ac seducant; aguntur æstu cupiditatis, & agunt juvenes, donec post alios atque alios deceptos & repulsam passos, denique læna incidat in leonem, & mutuis se dilacerent unguibus: quod Atalantæ contigit, cujus, uti & Hippomenis, Pœtâ canente

Colla jubæ velant: digiti curvantur in ungues,
Iram vultus habet, pro verbis murmura reddunt,
Pro thalamis celebrant silvas.

En descriptionem infausti & rixosi conjugii, in quo post melleas primæ Veneris guttulas, succedit cadus fellis: vultus illi nuper gratiarum, toruitatem induunt Leoninam: blanda mutantur jurgiis: captiofi crines horridè depectuntur; fitque thalamus cubile *leonum & draconum.* Jerem 4. & 5. Tanti pœnitere quis emat? De Atalanta Ovidius
----- ne dicere possis

Laude pedum, formævé bono præstantior esset.

Perniciosum illicium, boni vultus saltatrix, qualis Herodias illa fuit, quæ geniale parentis epulum sanctissimi Prophetæ capite cruentavit.

II. (b) Atalanta, quamvis celerrima pedibus, tamen victa est *malis aureis*, ab Hippomene projectis. Tanta vis est munerum ad virtutem

(a) Puellarum levitas & illecebra, (b) Retardatio in via virtutis, & voluptatis servitio.